

DE
C A N C R O
OCCVLTO APERTOQVE

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO
DOMINO
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR. ACADEM. CAESAR.
NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL ET REG. BEROL.
SCIENT. SODALI.

FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO
PATRONO FAVTORE ET PRAECEPTORE
OMNI HONORIS CVLTO PROSEQVENDO

PRO
G R A D V D O C T O R I S

SOLLEMNITER CONSEQVENDO
DIE XII. DECEMBR. CI5 ID CC LXI.
H. L. Q. S.
PVBLICE DISSERET

AVCTOR
DANIEL GOTTLOB TENZER
VRATISLAVIA SILESIVS.

HALAE AD SALAM
LITTERIS SCHNEIDERIANIS.



DE

CANON OCCULTO APERTOQUE

PRÆSID

VIRO ILLUSTRISSIMO ATQUE EXPERIENTISSIMO

DOMINO

D. PHILIPPO ADOLPHO BOHMERO

MED. ANAT. ET CHIRURG. P. A. ORDINAR. ACADEM. CAESAR.

IMP. CAESARIS TERTIO IMPERIALI AETHIOP. ET REG. BEROL.

CONS. EDAL.

FACTURUS MEDICAE H. T. BECANO SPECTATISSIMO

PATRINO LAVATOR. ET PHARMACEPTORE

OMNI HONORIS CUNTO PROSPERANDO

TEO

GRADU DOCTORIS

SOLLIMPHI CONSPICUENDO

DIE KIL. DECIM. CL. IS. CC. LXX.

BYLLE. DISCRET.

DANIEL GOTTLIEB TENNER

PHARMACEPTOR. ET LAVATOR.

HABE AD SALAM

LITTERIS TENNERIANIS



V I R O
ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO
ATQVE EXPERIENTISSIMO
D O M I N O
D. CHRISTIANO ANDREAE
C O T H E N I O
POTENTISSIMO PRVSSORVM REGI
A CONSILII INTIMIS ET ARCHIATRO
EXERCITVVM PRVSSICORVM ET ORPHANOTROPHEI
POTZDAMPIENSIS MEDICO PRIMARIO
COLLEGII MEDICORVM SVPREMI
ET
COLLEGII MEDICO-CHIRVRGICI BEROLINENSIS DIRECTOR
CIRCVLORVM QVORVNDAM PHYSICO
ITEMQVE
ACADEMIARVM IMPERIALIS NAT. CVRIOS. ADIVNCTO
REGIAE BEROLINENSIS SCIENTIARVM DIRECTORI
NEC NON COLLEGII SANITATIS
SODALI LONGE MERITISSIMO
MACENATI ATQVE PATRONO
PERENNI PIETATIS TESTIFICATIONE PROSEQVENDO,

VIR ILLVSTRIS
ATQVE
EXCELLENTISSIME

Iam dudum omnis generis eruditio, qua exornatus es, et egregia in patriam merita TUA, indeque TIBI nata gloria me in admirationem TVI rapuerunt. Ex eo enim tempore, quo SAPIENTISSIMI REGIS, FRIDERICI MAGNI voluntate decretum erat, TE omnibus illis praeficere, quorum est, militis, pro patria fortiter pugnantis, sanitati in-

igiv

vigilare: talem TE semper doctrinae ubertate et indefesso labore praestitisti, qualem omnium consensu inter homines plus optare, quam sperare licet. Multa TIBI hoc nomine debet patria eiusque civis. Ad me vero quod attinet, non possum mihi nunc temperare, quin publicum TIBI venerabundae mentis exhibeam documentum. Quod ut perficiam, nullam commodiorem mihi videbar posse nancisci occasionem, quam si TIBI hodierna luce, qua mihi non exstat altera optatior, artis tirocinium inscriberem, illudque TVO nomine ausim reddere splendidius. Non equidem nescio, fore, ut leue hocce conamen, nec ita omni ex parte expolitum, TIBI displiceat, si auctoritatem TVAM, si doctrinam, qua polles, solummodo respicerem. At benignitas TVA singularis, et insigne illud studium, quo rem litterariam in dies promotam cupiunt viri vere docti, sperare me iuvent, TE non tam manusculi pretium, quam animum illud offerentis ponderaturum esse. Accipe igitur,

VIR ILLVSTRIS ATQVE EXCELLENTISSIME, *has
paginas inaugurales indulgenter, diuque vale, egre-
gium scientiae medicae ornamentum! Ego vero me
numquam non felicissimum futurum esse existimabo,
si patrocinio TVO me dignum iudicaueris, quod omni
occasione sibi promereri diligenter connabitur, inter ar-
dentissima vota pro perpetuitate salutis perseveraturus,*

TANTI NOMINIS

Dab.

In Acad. Frider.

VII. Id. Decembr. clō B cclxxl.

obsequiosissimus Cultor
DANIEL GOTTLÖB TENZER.
Vratislauiensis.



DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

C A N C R O
TAM OCCVLTO QVAM APERTO.

PROOEMIVM.



Etſi non dubito, fore permultos, qui me iudicent, iliada poſt Homerum canere; argumento nunc ad pertractandum electo, in quo euoluendo induſtria tot virorum doctrina medica illuſtrium numquam deſiderabatur: tamen tantum abeſt,

abest, vt morbi huius atrocissimi theoria omni perspicuitate iam gaudeat, vt potius multa adhuc ibidem restent, accuratiore examine dignissima. Contigit mihi praeterita aestate occasio, duce Viro excellentissimo D. D. NIETZKI, praeceptore optimo, multoties adeundi feminam quamdam rusticam, cui immanis ad mammam sinistram obortus erat cancer; vt casus huius descriptio, suo loco inferenda, id pluribus docebit. Iam varia hic mihi obseruare licuit, quae imprimis ad materiae cancerosae mixtionem pertinebunt, ab aliis, quantum ego quidem scio, nondum annotata. Quam ob causam mihi nunc videor argumentum selegisse non ita prorsus excussum, indignumque specimine inaugurali. Ne quid vero a me praeteruideatur, quod ad argumenti huius perfectam tractationem requiri solet: ea *prius* proponam, quae ad morbi huius atrocissimi cognitionem faciunt, quibus *deinde* subiungam, quae ad illius sanationem respiciunt; singula ex certis principiis recte deriuaturus.

CAPVT



CAPVT I.

DE

CANCRI OCCVLTII APERTIQVE THEORIA.

§. I.

Satis luculenter suo loco constabit, cancerum oc-^{Instituti}cultum scirrhorum, apertum vero vlcerum ge-^{ratio.}neri subesse. Ut itaque principia cognoscendi, ad argumentum nunc pertractandum necessaria, ad manum quasi essent, e re nostra omnino erit, antequam canceri occulti apertique affectiones exponantur, illa hic prius praemittere, quae ad scirrhorum et vlcerum doctrinam generalem pertinent. Hunc enim ordinem tractationis iure quodam sibi vindicare videtur methodus, inueniendae confirmandaeque veritati accommodatissima.

§. II.

Testantur obseruationes, oboriri quandoqui-^{Scirrhi de-}dem in partibus solidis, mollibus, flexilibus corpo-^{finitio.}ris humani tumores duros, qui originem suam ducunt a fluidis ibidem inspissatis. Huius indolis tumores dici solent *scirrhi*.

Dantur gradus diuersi huius duritiei. Hinc scirrhus modo maior, modo minor possibilis erit. Si quis igitur huius duritiei

B

differen-

differentes quantitates vocabulis peculiaribus notandas esse velit: id ipsi concedi poterit, sine definitionis propositae detrimento.

§. III.

Confectarium.

Ortus itaque scirrhorum in genere ita concipiendus erit, ut, dum humores vel in cellulosa, vel in vasculis modo arteriosis, modo venosis stagnant, ibidemque coaceruantur, portione tenuiore sensim sensimque priuati, tandem solidescant; sibi iuncta partium solidarum, quibus id contigit, necessaria distensione. Vnde necesse erit, ut ibidem non nisi tumor durus generetur, siue scirrhus;isque eo maior vel minor, pro ratione quantitatis fluidi restagnantis, atque ad naturam solidi accedentis (§. anteced.).

§. IV.

Aliud.

Nullam prorsus contradictionem inuoluit, quin sanguis, serum, lympa corporis humani inspissari possint. Hinc etiam fieri poterit, ut in scirrbo aliquo materiam inspissatam simulque distendentem constituat sanguis, in alio lympa, in alio serum, in alio tandem ex his commixtum quid. Quam ob causam pro diuersitate fluidi inspissati, scirrhus inexistens, ille congruo modo diuidi poterit in sanguineum, lymphatico-serosum, lymphatico-seroso-sanguineum, et sic porro.

§. V.

§. V.

Ex quibus ulterius conficitur: *omne id causam* ^{Scirrhi} *scirrhi esse, quod succum coagulare, inspissare, sicca-* ^{causae.} *re potest; ut verbis BOERHAVII utar de cognosc. et curand. morb. §. 484. Cuius igitur census esse poterunt inflammationes praeuiae, validae arrosiones, contusiones, ictus, lapsus, remedia valde adstringentia, frigida, calefacientia, relaxantia, humida, dyscrasia humorum, obstructio, diaeta crassa, acida, sicca, congestiones, subito suppressae haemorrhagiae naturales, vasorum debilitas, rigiditas.*

§. VI.

Symptomata scirrhorum in genere dependunt partim a spisso in cellulosa, vel cauis vasorum ^{Illius} *haerente, partim a compressione vasorum aliorum.* ^{sympto-} ^{mata vn-} ^{de.}
Ad scirrhum enim requiritur humor quidam inspissatus (§ II.), qui partim intra cellulosam, partim vero intra vasa continetur (§ III.). Sed scirrhus simul etiam tumor est (§ II.). Hinc necesse erit, ut haec ipsa materia scirrhi partes illas, quibus inest, simul distendat; id quod vero sine compressione multorum aliorum vasorum neutiquam fieri poterit. Puto inde iam constare propositionis veritatem.

§. VII.

Confecta-
rium.

Quum in corpore aegro necesse fieri doceat Pathologia, vt ab vno symptomate aliud proficifcatur, atque hoc denuo producat nouum; ita, vt symptomatum morbi cuiusdam determinata series obtineat: nullum erit dubium, *quin idem quoque locum habeat in scirrhis.* Quo supposito, plura alia hic erunt necessaria symptomata, vt *laesa partis affectae functio, sensus ibidem incommodus, aut etiam dolor, pro ratione sensibilitatis locorum, congestiones versus partes scirrhosas aequae, ac ab his remotas, illarum inflammationes, augmenta scirrhi, huius exulceratio, motus febriles* diuersorum effectuum; et, quae inde facili ratione colligi poterunt, reliqua.

§. VIII.

Scholion
generale.

Hae iam sunt scirrhorum affectiones, breuiter nunc propositae, quae vero prolixius explicari deberent, si id cum fine nostro impraesentiarum magis conueniret. Quibus denique haec doctrina nondum satis perspicua esse videtur, illos oportebit Pathologorum scripta consulere, in quibus hoc argumentum congrue copioseque pertractatum est. Quorsum sine dubio et maxime referri meretur viri doctrina praestantissimi D. D. KEMME *dissertatio inaug.*

inaug. de scirrhorum simplicium genesi. Sed ut iam ad scopum nostrum perueniamus, pauca nunc quoque praemittantur, quae ad ulcerum doctrinam generalem spectant.

§. IX.

Variis modis contingere solet, ut continuum in partibus solidis solvatur. Si haec mutatio in partibus flexilibus et mollioribus ita producitur, ut continuum solutum nullam superficiem cruentam exhibeat: ibi tunc *ulcus* subortum esse iudicatur.

Hoc itaque modo facile distingui poterit vulnus ab ulcere, tandem etiam intelligi, qua ratione possibilis sit vulneris degeneratio in ulcus.

§. X.

Quidquid itaque *partium solidarum continuum* illorum *solvere valet, illud etiam ad causas ulcerum, modo* causae et *externas, modo internas, pertinebit.* Neque minus inde coniiicitur, *symptomatum originem in ulceribus ducendam esse ab ipsa continui solutione, semper* symptomata, *habita ratione qualitatis unius vel alterius partis solutae. Idcirco affluxus humorum ad partes excoratas, dolor, inflammatio, motus febriles, et alia inde necessaria erunt ulcerum symptomata.*

Haec sunt ulcerum symptomata maxime generalia, quibus illa stipantur; postpositis pravis illis qualitibus materiae ibidem

dem non numquam contentae. Quid vero in eis casibus necessum sit, ubi materia ulcerum putridae indolis est, id infra patebit, ubi sermo intercurret de cancro aperto.

§. XI.

Casus descriptio.

Iam venio ad casum illum describendum, qui mihi nunc de cancro differendi ansam dedit. Femina quaedam rustica in pago quodam, prope Halam sito, aetatis XXXXIII annorum, habitus macilenti, alias sana, vno abhinc anno ob inuasionem hostium concipiebat terrorem, et quidem eo tempore, quo illi fluxus menstruus oboriebatur, quem tamen inde suppressum fuisse negabat misera. Interuallo autem duorum dierum dolorem in mamma sinistra sentire coepit, initio quidem leuem, in dies tamen auctum, insimulque ad loca dolentia tumorem sibi natum esse in se deprehendebat, qui sub suis primordiis exiguus erat, succedente vero tempore magis magisque crescebat, augmento dolorum stipatus. Circa mensem quartum tumori huic accesserunt durties, vasorum inflatio, rubedo ibidem interspersa, dolorum augmenta. Circa mensem nonum tota mamma prorsus indurata atque inflammata adparebat; glandulis subaxillaribus eiusdem lateris simili ratione adfectis. Dolores tunc erant per interualla fere intollerabiles, noctes a somno vacuae, animus abie-

abiectus, virium iactura insignis. Aegra tantae calamitati obnoxia, iam petit auxilium a medico quodam famigerato. Iubet iste adplicari ad loca adfecta vnguentum compositum ex melle rosarum et farina. Quo remedio per octiduum adhibito, mamma aequae, ac glandulae subaxillares exulcerabantur. Ex quo tempore symptomata, superius adnotata, non solum supra modum incresebant, sed etiam fluxus menstrui suppressio sequebatur. In hoc statu misera auxilium efflagitabat ab experientissimo D. D. NIETZKI, qui obseruandi causa me aliosque commilitones meos honoratissimos ad aegram duxit. Ecce iam accuratam phaenomenorum ibidem obseruatorum descriptionem! Foetor adstantibus erat vix tollerabilis, superficies mammae et glandularum subaxillarum exulcerata adparebat; cavitatibus hinc indeque deprehensis, in quibus materia modo tenuis, modo spissa continebatur. Margines istarum cavitatum erant admodum duri, colorem luridum referentes. De qualitatibus huius materiae id per experimenta constitit. Acido vitriolico volatili ad certam distantiam partibus exulceratis admoto, fumus quidam suboriri videbatur, qui tamen die sequenti non adparebat, eodem experimento repetito. Materia cum syrupo violarum commixta, huius

ius colorem non commutauit. Neque inde viridis color solutionis cupri mutatus esse obseruabatur. Facta vero illius commixtione cum calce uiua, urinosum statim extorquebatur. Quod superest misera de dolore quidem continuo, sed interdum vix ac ne vix quidem perferendo conquerebatur, seque valdopere viribus exhaustam esse dolebat, maxime post sanguinis profluua ex locis adfectis ipsi frequenter suborta; haec mox insequente foetore magis abominabili. Vocatis hic in usum epithematibus quibusdam humidis balsamicis, nullo prorsus modo irritantibus, id statim effectum erat, vt foetor vlceris discutere- tur, dolor mitigaretur, idque spatio viginti quatuor horarum. Nouo vero hostium aduentu incepta cura- ratio impediabatur; accessu inde ad aegram prae- cluso, quae denuo perterrita, periit, efferis ipsi subor- tis haemorrhagiis.

§. XII.

An possit
putrescere
materia
scirrhi.

Pathologia permultis exemplis confirmat, ne partes quidem solidas a putredine immunes esse. Quid igitur obstabit, quo minus etiam fluida inspissata putrefactionem subeant? Consequens inde iam erit: *fieri posse, vt etiam scirrhi materia in putredinem ruat.*

§. XIII.

§. XIII.

Dari diuersos gradus putrefactionis in massis ^{An lente fieri possit.} putrescentibus, non vno, sed compluribus experimentis Chemicorum constat. Atque idem quoque in diuersis morbis obtingere, Pathologia tradit. *Possibilis ideoque erit putrefactio et lenta, et illa, quae nimis accelerato gradu incedit, in scirrbo obuia* (§. ant.)

§. XIV.

Nunc tibi iam concipe scirrhum lymphatico-feroso-sanguineum (§. IV.), cuius materia lente putredinis est (§. antec.): habebis tunc notionem cancri *occulti*. A putrido et acri continuum in partibus solidis corporis humani solui posse, quilibet mihi concedet; id obseruationibus frequentissime probantibus. Hoc itaque modo vlcera (§. IX.) oriri poterunt. Quem effectum quando iam produxit materia cancri occulti, iste tunc *apertus* fieri dicitur.

Doctrina pathologica rite imbutus, perquam facile perspiciet, haec definitiones nihil imaginarii, nihil fictitii, aut eiusmodi quid ingredi, quod aliis certo cognitis veritatibus repugnaret. Non habebis adeoque, cur de harum definitionum realitate dubites? sed dubitabis fortasse de illarum conuenientia cum vsu loquendi, inter Medicos recepto? Atque hoc quoque dubium tibi euanesceat; quam primum infra cognoueris, haec

definitiones non solum sufficere, ad definitum ab aliis discernendum, verum etiam adeo foecundas esse, vt illarum beneficio reliquae morbi huius dirissimi adfectiones haud difficili opera euolui possint. Vt ita bene intellecta tali definitione morbi, huius cognitione reliqua te simul imbutum esse existimare possis. Neque tam parui habenda est haec definitionum pathologicarum indoles. Tantum vero adest, vt id commodi tibi polliceantur definitiones pathologicae, quae longa phaenomenorum, quandoquidem pluribus morbis communium, enarratione absoluntur, vt potius doctrinae pathologicae magis noceant. Probe enim distinguendum erit inter definitionem morbi, huiusque historiam.

§. XV.

Miscibilia
materiae
cancrosae.

Materia cancrosa in se continet modo acidum explicitum, modo alcali volatile, modo salem ammoniacum. Annotauit celeberrimus STAHLIUS in *dissert. de cancro*, se obseruasse, materiam cancrosam manifesto efferuuisse, eidem adpersa terra quadam calcarea; non secus, ac fieri solet, quando huius genii terrae admiscentur acidis. Tunc igitur acidum explicitum massae cuidam insit, oportebit. Verum etiam fumus quidam excitatus fuisse videbatur, acido vitriolico volatili materiae cancrosae ad certam distantiam admoto (§. XI.). Quare de alcali volatilis, ibidem obuii, existentia nullum erit dubium. Quoniam denique vrinofum ex materia cancrosa statim liberum fieri deprehendebatur; simulac cum
illa

illa calx viua permixta fuerat (§. XI.): qua de re certum quoque erit, falem ammoniacum ibidem simul adesse. Vnde iam singula propositionis momenta constant.

Cuiusnam vero speciei hoc acidum erit? Ad illud sine dubio referendum, quod sali culinari proprium est. Nimis prolixum nunc foret, si illa experimenta hic proponere vellem, quibus ibi vsus erat praeceptor mihi admodum aestimandus, D. D. NIETZKI, vbi in praelectionibus suis physiologicis et chemicis sermo iutereurrebat de mixtione animali: Ex illis vero fatis' luculenter conficitur, nonnisi acidum salis communis in mixtione animali praedominari. Quare exinde porro facili negotio colligere licebit, non alium quoque falem ammoniacum materiae cancrofae inesse posse, quam vulgarem, vtpote constantem ex acido salis communis et sale vrinoso,

§. XVI.

Cancro inest materia acris, eaque diuersae mixtionis, ope quidem lentae putrefactionis producta, ita tamen, vt plus minusue accedente sanguine ad fluidum lymphatico-serosum, putrefactio modo imminuatur, modo intendatur, sed salua permanente spissitudine materiae cancrofae. Quum de materiae cancrofae acrimonia, illiusque diuersa mixtione nullo prorsus modo dubitari possit (§. anteced.): hinc potius euoluendae nunc erunt origines huius diuersae mixtionis in cancri materia obuia. Est vero materia ista putrida, spissa, composita ex lymph^{Materiae cancrofae qualitates,}

pha, fero et sanguine (§. XIV.). Quamdiu igitur cancer aderit, tamdiu etiam illius materiae putredo cum spissitudine adhaerebit, quamvis differentis gradus. Lentam adeoque semper esse oportebit putrefactionem materiae cancrofae; qualiscunque etiam indolis fuerint illius miscibilia (§. anteced.); quorum modo ortus, modo interitus, modo inde natum nouum mixtum motui intestino diuersi gradus debetur (per princip. chem.). Quia tandem cancer occultus ad scirrhorum, apertus vero ad vlcereum genus pertinet (§. XIV.): necesse omnino erit, vt pro ratione congestionum ad loca adfecta productarum, sanguinis quantitas in cancro vel aucta, vel imminuta sit, et putredo materiae ibidem haerentis, mox increseat, mox minor fiat. Atque id eo magis, quum sanguis omnium fere fluidorum corporis animalis pronissimus sit ad putrescendum. Et quod ad humorum affluxum attinet ad loca cancrofa: illum patebit ex infra dicendis et frequentiore, et maiorem esse, eo, qui in scirrhis et vlcerebus simplicibus fieri solet. Liquida nunc iam erit propositio.

Vim principii cuiusdam vtilissimi habet haec propositio, ad morbi huius truculentissimi effectus explicandos, horumque causas introspectandas.

§. XVII.

§. XVII.

Cancris occultis apertisque symptomata symptomatibus scirrhi ulcerisque simplicis similia quidem sunt, his tamen longe acerbiora. Quidquid enim de genere valet, idem etiam de quacunque specie valebit, sub eodem genere contenta. Sed cancer occultus scirrhorum, apertus vero ulcerum generi subest (§. XIV.). Neque idcirco aliter fieri poterit, quam ut hic quoque eadem symptomata compareant. Verum enim vero hic adhuc accedit materia acris diuersae mixtionis, orta ex putrefactione quoad gradum differente (§. anteced.). Quare hoc loco non deficiet noua horum symptomatum causa (per princip. patholog.). Vnde etiam symptomata longe acerbiora hic oboriantur, oportebit; alias illud rationi aduersum concedere deberes, quod vis maior effectum se minorem producere possit.

Cancris
sympto-
mata.

Passim id confirmant observationes clinicae.

§. XVIII.

Quod praecipue ad congestiones, inflammationes et dolores attinet: haec symptomata prae reliquis gradu superabunt illa, quibus scirrhus vel ulcus simplex stipari solet. Omnia enim cancri, tam occultis, quam aperti, symptomata longe acerbiora

Qualia
sympto-
mata au-
geantur.

sunt iis, quae scirrhis et ulceribus simplicibus competunt (§. anteced.). Quare oportebit, ut modo indicata symptomata gradu crescant (§. §. VII. et X.). Sed quoniam materia cancrofa, utpote acris, non solum intra cellulofam, sed et vasa tam arteriofa, quam venosa haeret, his iam inde arrosio, congestio ibidem determinatur, inflammatio excitatur, dolor mirifice exacerbatur. Quo igitur modo de huius quoque propositionis veritate dubitari non poterit.

Atque in id quoque consentit experientia, quod bene norunt, quot quot animo praesenti ante aegrotantium strata comparent. Sed aliud adhuc phaenomenon ex eadem propositione explicari poterit, quod ansam dedit singulari quodam vocabulo hunc morbum designandi. Quando nimirum ad loca, a cancro occupata, congestiones intenduntur: fieri tunc solet, ut vasa ibidem distensa compareant, cum rubedine simul intercurrente et quasi striis sanguineis simili. Vi ergo imaginationis hic videbatur figura brachiorum cancri expressa esse. Unde iam facta est translatio vocis ad morbum huncce denominandum. Non desunt in aliis quoque disciplinis tales imaginationis ineptiae.

§. XIX.

Tametsi dolor in cancro illo semper auctior est, qui in scirrhis vel ulceribus simplicibus oboriri solet: eius tamen remissiones hic erunt possibiles; ita, ut dolor in cancro per totum morbi tempus modo maior, modo minora habeat augmenta. Praeter causas

fas

Doloris
varietas
vide.

fas omni scirrho vel vlceri simplici communes, dolor in cancro a materiae quoque acredine dependet (§. §. XVII. et XVIII.). Sed materiae cancrofae acrimonia non semper est vnus gradus et mixtionis (§. §. XV. et XVI.). Hinc neque dolor eiusdem gradus esse poterit, sed vno tempore remissus, altero auctus.

Quocum denuo congruunt obseruationes. Idem etiam in casu superius descripto contigit (§. XI.).

§. XX.

Auctis in cancro symptomatibus, ad §. XVIII. Causa nimis corruptae materiae cancrofae.
enarratis, *augebitur quoque praua indoles materiae cancrofae.* Tunc enim necesse erit, vt sanguinis maior copia ad materiam cancrofam accedat. Quare etiam oportebit fieri, vt huius materiae putrefactio increseat, illaque peiorem nanciscatur conditionem.

§. XXI.

Admissis adeoque causis quibuscunque, vnde Confectarium.
congestiones ad loca cancrofa vehementes patrantur, res aegrotantium in deterius semper ruant, oportebit. (§. anteced.).

Ne hic quidem calculum suum nobis denegat experientia. Cuius rei satis clarum documentum inest descriptioni casus (§. XI.). Femina enim haec misera actutum se pessime habere incipiebat, simulac

fimulac illa adplicauerat cataplasma maturantis effectus. Dolores enim immanes secuti erant, cancer occultus in apertum degenerauerat, subfiterat fluxus menstruus, in morbi maius augmentum. Necessum hoc ideo erat, quia id remediorum genus, ut alia remedia irritantia, adfluxum humorum inuitat. Vtinam medentes illius Hippocratici hic memores essent, *noli me tangere*. Atque ideo vel prorsus a medicatione abstinerent, si ipsis desit remedium plane congruum, aut saltem cautius mercari discerent. Verum plures aliae causae eiusdem conditionis hic valebunt, ex pathologicis reperendae.

§. XXII.

Confectarium,

Simili ratione inde etiam conficitur: *imminui cancrum cum suis symptomatibus, quo magis imminuuntur causae validarum ad loca adfecta congestionum (§. XX.).*

§. XXIII.

Haemorrhagiae ad loca cancrosa.

Fieri potest, ut in locis, a cancro deturbatis, oboriantur haemorrhagiae. Materia cancrosa non caret acrimonia, eaque saepius intensioris gradus (§. XVI.). Neque etiam infrequenter sunt in isto morbo perquam graues ad loca affecta congestiones (§. XVIII.). Hoc igitur modo vasis sanguineis nimium distensis, a materia acri corrosis, haud difficulter euenire poterunt haemorrhagiae, eaeque saepissime excedentes.

§. XXIV.

§. XXIV.

Quibus adeoque productis, necesse erit, ut Quid inde colligatur,
cancer maiora incrementa capiat, statusque hoc ma-
lo afflictorum longe deterior fiat. (§. §. XVI. et XXI.).

Frequens id confirmavit observatio. Confr. *perill.* L. B. de SWIETEN. in *comment. ad aphor. LOERHAUVII tom. I. §. 499.* Id ipsum quoque in casu nostro contigit, quem ad §. XI. descripsimus.

§. XXV.

Ex cancro occulto apertus fieri debet; idque Mutatio cancri occulti in apertum.
eo citius, admissis ad illum causis, in §. XXI. deter-
minatis. Materia enim cancri putrida et acris est
 (§. XVI.); et morbi ipsius ea conditio, ut graues illum insequantur in locis afflictis congestiones (§. XVIII.), quibus denique efficitur, ut materia cancrofa maiorem acrimoniae gradum consequatur (§. XX.). Quum vero ex principiis pathologicis fatis notum sit, quod eiusmodi pars solida corporis humani facile solui possit, quae maioris cuiusdam acredinis materiam in se continet, iustoque grauioribus congestionibus patet: nullum ergo dubium erit, quin etiam in locis cancri occulti tandem suboriatur solutio. Qua facta, ex cancro occulto iam orietur apertus (§. XIV.). Quoniam vero causae, in §. XXI. indicatae huius indolis sunt, ut considerari possint instar virium auctarum, ad praestandam eiusmodi solutionem continui: sequitur, ut haec eo citius tunc perficiatur.

Hanc quoque veritatem multoties probarunt obseruationes.
Eam similiter probauit casus supra expositus.

§. XXVI.

Scholion
generale.

Singula haec momenta, quae haecenus de cancro occulto apertoque protulimus, ita iam sunt comparata, vt inde plures alias affectiones morbi huius trucissimi quisque facili negotio deriuari possit, rite imbutus doctrinis physiologicis et pathologicis. Cognita enim partis cuiusdam functione, ex dictis iam intelliges, quid tum amplius necesse sit, quando illa a cancro corripitur; paucis aliis principiis pathologicis in subsidium vocatis. Atque eodem modo se res quoque habet de causis et signis morbi, nunc disputati. Quum enim cancer occultus scirrhi, atque apertus vlceris speciem constituat: non poteris non cognoscere, quod huius quoque morbi causae conueniant cum illis, a quibus generatim scirrhorum et vlcerum ortus proficiscitur; habita simul ratione causarum, putredini excitandae inseruientium. Quem in finem huc pertinentia loca dissertationis nostrae conferenda erunt. Quod vero ad signa morbi spectat, ea adhuc facilius ex illis § §. erui poterunt, in quibus actum erat de morbi effectibus adeo manifestis, vt sensibus percipiantur. Nimis enim prolixum atque a fine praesente alienum mihi fore videbatur, in peculiaribus quibusdam §§. ista adhuc explicare. Quibus praemonitis, ad secundam dissertationis meae partem iam transeo, morbi explicati curationem breuiter indicaturus.

CAPVT

CAPVT II.

D E

CANCRI OCCULTI APERTIQUE CVRATIONE.

§. XXVII.

Cancer occultus scirrhorum numero accensendus est, (§. XIV.). Hinc methodus *scirrhī medendi* Indicatio-
nes cancri
occulti. *hoc etiam loco obtinebit*, ideoque *remediis resoluti-
tibus opus erit*. Sed quia in cancro occulto materia putridae indolis simul continetur (§. citat.): *balsamica hic quoque in usum vocare conueniet*, quippe quae putredini resistunt. Tandem huius conditionis sint, oportet, remedia adplicanda, *ne illorum usu loca adfecta irriterentur*; alias morbus longe magis increfcet (§. XXI). Quibus iam regulis absolvitur methodus medendi huic morbo pertinacissimo.

§. XXVIII.


Ad methodum vero medendi cancro aperto quod attinet: hic sequentia obseruanda erunt Indicatio-
nes cancri
aperti. Quoniam morbus curandus speciem vlceris alicuius putridi exhibet (§. XIV.): necesse tunc erit, *vt illius materia satis bene corrigatur, abstergatur, tandemque vlcus ipsum consolidetur*. Quo plura loca scirrhusa in partibus exulceratis deprehenduntur: eo magis simul requiritur, *vt remedia resolutentia adhibeantur*. *Ne hoc quidem loco regula illa negligatur*, iam ad §. ant. proposita, *qua*

qua nimirum a quibuscunque irritantibus abstinendum esse praecipiebatur,

§. XXIX.

Scholion
generale,

Consulto omisi in descripta hacce methodo medendi enar-
rationem illorum momentorum, quae ad regimen vitae aliasque
sanandi regulas generales pertinent; utpote quae hic supponun-
tur. Sicuti vero regulae istae sanandi, in duobus §. §. proxime
antecedentibus explicatae, rationi prorsus respondent: nullum
dubium est, quin semper ex voto successura sit curatio; si modo
de remediis efficaciae, in methodo medendi determinatae, satis
certo constaret. Nunc enim in quaestionem venit, quaenam il-
la remedia sint, quibus materia cancri resolui, illiusque putrida
indoles adimi poterit, sine irritatione, morbum sanandum magis
exacerbante? An medicamenta mercurialia vel alcalina, utpote
resoluentis virtutis, hic proficua erunt? Id vix de illis sperare li-
cebit. Anne plantis quibusdam talis iam mixtio insita est, ob
quam remedium suppeditarent quasi specificum in isto morbo?
Hoc valde probabile est. Vtrumne hoc nomine *cicuta vulgaris*
adhiberi poterit, quam nostra aetate tot laudibus in peculiari quo-
dam libello praedicavit ANTONIVS STÖRCK, Medicus Vinde-
bonensis celeberrimus, qui plantae huius usum internum in can-
cro proficuum fuisse contendit. *Illustris* PRAESES nuper expe-
rimentum cepit cum eadem planta in cancro aperto externe ad-
plicata ad loca laesa, sub sacculorum et fomentationis specie. Ob-
servavit ille dolorem inde valde mitigatum fuisse, cum foetoris
materiae putridae imminutione. Maximae utilitatis haec mihi esse
videtur observatio viri, de bono publico meritissimi. Illud vero
remedium externum, quod in casu supra exposito, adhibebatur,
erat decoctum ex plantis, vi sua irritante priuatum. Vbi tandem
omnis medicina irrita fuerit: ibi nonnisi extirpatio partis can-
crofcae indicari poterit, ea, qua decet, circumspectio-
ne perficienda,




01 A 6602

ULB Halle

3

002 932 512





DE
CANCRO
OCCVLTO APERTOQVE

PRAESIDE
VIRO ILLVSTRI EXCELLENTISSIMO ATQVE EXPERIENTISSIMO

DOMINO
D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

MED. ANAT. ET CHIRVRG. P. P. ORDINAR. ACADEM. CAESAR.
NAT. CVRIOS. ITEMQVE IMPERIAL. PETROPOL ET REG. BEROL.
SCIENT. SODALL.

FACVLTATIS MEDICAE H. T. DECANO SPECTATISSIMO
PATRONO FAVTORE ET PRAECEPTORE
OMNI HONORIS CVLTO PROSEQVENDO

PRO
GRADV DOCTORIS
SOLLEMNITER CONSEQVENDO

DIE XII. DECEMBR. MDCC LXI.

H. L. Q. S.
PVBLICE DISSERTET

AVCTOR
DANIEL GOTTLOB TENZER
VRATISLAVIA SILESIVS.

HALAE AD SALAM
LITTERIS SCHNEIDERIANIS.

